



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Liber De Prvdentia Ivstorvm**

**Juan <de Jesús Maria>**

**Coloniae Agrippinae, MDCXIV**

Cap. XIV. Docet amicitiam hominum declinandam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

## CAP. XIV.

*Docet amicitiam hominum declinandam.*

**D**OLEO super vos, humanæ benevolentia mercatores, quibus amicitia hominum nimis placet. Fidelis amicus omni thesauro pretiosior est, raroque inuenitur in terra aliena. Mendaces quippe sunt filij hominum in stateris, nec fidem seruare didicerunt. Quid quæritis in terra, quæ versa est in falsuginem à malitia inhabitantium in ea: Prater non redimit fratrem, redimit fortassè homo, qui non est frater; & qui nescit amare animam suam? Filij Ierusalem, ne fidatis Idumæis, qui amicitia violata, Chaldæis confæderati dicunt: Exinanite, exinanite, vsque ad fundamentum in ea. Si placet vera amicitia, quærite me, nec iam dicam vos seruos, sed charissimos amicos meos, & amicitia iure, omnium bonorum meorum communicatione gaudebitis. Non timebitis domui vestræ à frigoribus niuis, omnes enim vestiemiini duplicibus, nec erit qui se abscondat à calore

B. 5. meo,



meo, Diligam vos (vt Ionathas Dauid) sicut animam meam : & laborum vestrorum fidelissimus confors ero. Qui tetigerit vos tanget pupillam oculi mei: & ex amoris magnitudine, vt nutritius vester alam vos dulcissimo lacte meo. Quid moramini, ô duri corde, amicitia humanæ renunciare, ac mediis visceribus imprimere beneuolentiam meam? Recedite à tabernaculis impiorum, qui fraudulenter amant, ne inuoluamini in peccatis eorum : & amicitiam meam studiosissimè requirite. Certè, ne vobis molestum videatur, & amicos multos ad interitum, pertrahentes relinquere, vnus ergo melior illis omnibus, ac fidiore non solum amicus, sed & frater, & pater amantissimus ero.

## CAP. XV.

*Docet oblectamenta varia respuenda.*

**V**ANI sunt sensus hominum, quibus non subest senectus mentis, & maturitas sapientiæ meæ, Non fatiatur oculus visu, nec auris impletur auditu: & videntur sibi filij Adæ sapienter agere, si nimis humana oblectamenta